



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

2. Quoniam abundavit &c. Ad universos Episcopos & Ecclesiæ Prælatos ut
fratres Prædicatores ad officium prædicationis, & confessiones audiendas
benignè recipiant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

baptismata parvulorum, donec idem comes super præmissis omnibus satisfaciatur competenter. Prænotatum autem juramentum apud Rothomense monasterium celebratum, quod præsumptum illicitè, licitè servari non potest, mutantès, juratores ut id abjurent, appellatione remota, per censuram Ecclesiasticam compellatis. Clericos quoque in ejus servitio familiariter commorantes, ut ab ipso recedant, monitione præmissa, per subtractionem beneficiorum & excommunicationis sententiam, appellatione remota, cogatis. Alios quoque complices & fautores, nisi moniti resipuerint, sententiâ simili percellatis. Quod si fortè dictus comes nec sic ad cor redierit, ut Deo & Ecclesiæ, & injuriam passis super præmissis omnibus intra quatuor menses postquam à vobis monitus fuerit, satisfactionem exhibeat competentem; vassallos & confederatos ejus à fidelitatis & confederationis ipsius juramenti penitus absolvatis. Quod si non omnes hiis exsequendis potestis interesse: tu ea, frater Episcopo, cum eorum altero nihilominus exsequaris. Verùm quia qui medicinalè Petri gladium non formidant, sæculari sunt gladio comprimendi, ne de sua malitia gloriantur: Serenitatem regiam rogamus, monemus, & exhortamur attentè, quatenus prudenter attendens, quod nisi præfatus comes in hujusmodi protervia confundatur, gravia inde pericula possent formidari, fidei zelo succensus, & parentum suorum exemplis inhærens, illum ut ad Ecclesiæ redeat unitatem tradidit tibi cælitus potestate compellat, ita profecturus com. CHRISTI, quod exinde propitiationem divinam uberius merearis, & nos sinceritatem tuam debeamus meritò commendare.

Datum Assisi iv. Kalendas Junii, Pontificatus nostri: Anno II.

II.
Ex Anecd.
Martene
Tom. I. Col.
954

Ad universos Episcopos & Ecclesiæ Prælatos, ut fratres Prædicatores ad officium prædicationis, & confessiones audiendas benignè recipiant.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus & aliis Ecclesiarum Prælati, Salutem & Apostolicam benedictionem.

QUONIAM abundavit iniquitas & refrigit charitas plurimorum, ecce ordinem dilectorum filiorum Prædicatorum Dominus suscitavit, qui non quæ sua sunt, sed quæ sunt Christi quærentes, tam contra promulgatas hæreses, quam contra pestes alias mortiferas extirpandas, se dedicaverat in evangelizatione verbi Dei, in abjectione voluntariæ paupertatis. Nos igitur eorum fratrum propositum & necessarium ministerium favore benevolo prosequentes, universitati vestræ ipsos affectuosè duximus commendandos. Caritatem vestram rogantes & exhortantes in Domino, ac per Apostolica scripta mandantes, quatinus dilectos filios fratres ordinis memorati pro reverentia divina & nostra ad officium prædicandi ad quod sunt ex professione sui ordinis deputati recipiatis benignè, ac populos vobis commissos, ut ex ore ipsorum verbi dei semen devotè suscipiant, & confiteantur eidem, cum ipsis auctoritate nostra liceat confessiones audire & poenitentias

inungere. sedulo ammonentes pro vestra & Apostolicæ sedis reverentia in suis eis necessitatibus liberaliter assistatis, quatenus ad prædicta suscipienda vestris exhortationibus populi præparati tamquam bona ac fructifera terra pro vitiorum tribulis incipiant segetem germinare virtutum, & dicti fratres per operationem vestram suscepti ministerii cursum feliciter consummando, optatum reportent sui laboris fructum & finem, salutem videlicet animarum. Quia verò sæpe vitia sub specie virtutum occultè subintrant, & angelus fatanæ in angelum lucis se plerumque simulate transformat, præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus si qui de Prædicatorum fratrum ordine se dicentes in vestris partibus prædicaverint, ad questum se pecuniæ convertendo, per quod religionem eorum qui paupertatem professi sunt contingeret infamari, vos tanquam falsarios capiatis, & condemnetis eosdem.

Datum Lateranis xvii. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri: Anno III.

Anconitanos arguit ob commissa scelera in Episcopum Belluacensem, & nī obediatis mandatis sedis Apostolicæ, eis excommunicationis sententiam minatur.

III.
Saracini
noticie Istoriche
d'Ancona.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, potestati & populo Anconitano.

VESTRIS excessibus imputandum quod nostræ salutationes alloquium nos, vobis cogitis denegare, cum exigentibus culpis vestris, & reddideritis vos indignos; dum enim rebellionis vestræ protervitas, dum enormitas vestrorum excessuum diversorum ad memoriam reducuntur, non ad præsentia conferenda; sed ad poenam inferendam potius provocamur; vos autem divinæ patientiæ improvidi abufores gratiæ nostræ, & oblitī beneficiorum à sede Apostolica perceptorum non attendentes qualiter, monetam comitatum Portum, & alia jura, quæ nullis de Marchia sunt concessa ad nostram curiam pertinentia; Ecclesia Romana vos subtrinit haftenus habuisse, olim Othoni tunc excommunicato ab alienati, retrorsum matris vestræ dulcedine abutentes; necnon ut comiti Celenensi & aliis Ecclesiæ inimicis, violata religione fidei adhæsistis, ac caeteris redeuntibus in pertinacia vestra persistitis diutius nimium impudenter, & quia non ista sufficerent, conversâ dexterâ in viscera matris vestræ conspirantes, conjurationes cum quibusdam sequacibus vestris, contra Ven. Fratrem nostrum Belluacensem Episcopum, tunc Marchiæ Rectorem damnabiliter inistis, non absque nostra injuria manifesta; & quia Romana Ecclesia hæc haftenus per patientiam toleravit, ut vos ad poenitentiam revocaret; propter quod poenitentes excessum commissorum à committendis debueratis causis abstinere; vos peccata peccatis ad dentes proterviores effecti, nec (per sicut accepimus) & non utique acceptamus; immò grave gerimus, & molestum, cum Auximatis excommunicatis conjurationes denuò, & conspirationes alias facere præsumpistis contra constitutiones, & poenas super hoc æditas & excommunicationis sententiam dilecti filii nostri &c. Tituli Sancte Prædixedis Præsbyteri Cardinalis Rectoris Marchiæ temerè, veniendo in nostram & Apostolicæ sedis injuriam & contemptum,

quia